

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## LXXVII.

**S**alutem à Filio DEI. Reverende vir & colende parens. Post varia existia, & fluctuationem diurnam divina clementia aliquem mihi monstrat portum, in quo aliquantulum recolligam vires, & divinarum promissionum veritatem celebrem. Quarta Maji, DEO duce, veni in eolumis Neuburgum. Filium DEI præcor, ut meus adventus sit salutaris Ecclesiis harum regionum. Illustrissimus Princeps Palatinus, Wolfgangus, &c. postridie, cum mihi de adventu clementer & humanissimis verbis gratulatus esset, obtulit honestam conditionem, locum Hieronymi Rauscheri, felicitis memoriam, stipendio satis liberali. Equidem maluissem, si mihi data fuisset optio, in schola Lagingenfi servire pro virili mea. Et modeste quidem illustrissimum Principem rogavi, ut ipsius celsitudo grave inspectionis onus in alium potius quam in me transferre vellet: Quia tamen sciebam, me non decere, vel DEO vel Principi præscribere, quo loco collocari velim, ipsius celsitudo arbitrio & voluntati me totum subjeci, & significavi, me ad labores, DEO juvante, promptum fore, quocumque loco fuero constitutus. Nobilissimus vir, D. Wolfgangus Köteritzius & D. Doct. Scardius, qui heri in Aulam rediit, quod percommode cecidit, instant apud Illustriss. Principem, ut mihi labores scholasticos Lagingæ potius, quam Aulicas conciones injungat. Res est in manu DEI: Quicquid decretum fuerit, grato animo amplectar. Gratulor mihi, quod à tali Principe sum vocatus, in quo singulare studium pietatis lucet. Tibi & clarissimo Viro, Domino Ludovico Grempio, patrono meo, ex animo gratias ago, quod me tanto studio Illustrissimo Principi commendastis, & nulli labori pepercistis, ut mearum ærumnarum aliquam inveniretis sublevationem. Dabo operam, implorato Dei auxilio, ut vos non pæniteat vestræ commendationis & erga me studii. M. Petrus Agricola, Juniorum Principum præceptor, vir integerrimus, & boni judicii, tuum librum plurimum commendat. Idem faciunt alii docti præstantes viri: qui omnes fatentur, Ecclesiam multum tibi debere pro hoc labore. Perimus igitur reverenter, ut pergas hoc modo Ecclesiam tibi obstringere, & eruditionis tuæ præclara monumenta ad posteritatem transmittere. Minister meus Georgius, ante biduum Francofurto ad me rediit. Valde mihi gratum est, quod in Aultram non sit ablegatus. Cum ab Illustriss. Principe definitum fuerit, quo in loco me servire velit, faciam te certiorum. Clariss. viro, D. Ludov. Grempio, Patrono meo, item D. Flinero, D. M. Speccero, D. M. Glocero, & cæteris fratribus meis, hospiti etiam meo, D. Laurentio Engelero, adscribo salutem. Bene vale, & pro me ora. Neuburgi, 8. Maji 1565.

*Excell. tuam reverenter colens*

Tilemanus Heshusius.

Bb 3

LXXVIII.